



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. An volenti potest fieri injuria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

PARS II.

*De Injuriis, & necessaria restitutione
in genere.*

CAPUT PRIMUM

De Injuria, seu injustitia in genere.

Q. I. *Quid est injuria?*

Resp. **Q** Est voluntaria violatio juris alieni. Sicut enim per actum justitiæ jus suum alteri tribuitur, ita per actum injustitiæ hoc Jus violatur. Porrò injuria censetur gravis, quando per se apta est parere tristitiam magnam, seu difficilè sedabilem, aut aversionem animi difficilè impedibilem, spectata communi hominum conditione, & communiter parit: nam talis injuria graviter repugnat Justitiæ fini, qui est pax, tranquillitas, mutuus amor per conservationem æqualitatis, & jurium.

Q. 2. *An volenti potest fieri injuria?*

Resp. I. Fit injuria consentienti ex dolo, vi, vel metu injustè incusso: quia talis non cedit moraliter Jure suo, saltem sufficienter ad tollendam injuriam. Nam cessio Juris tollens injuriam debet esse omninò voluntaria, & expers omnis injustæ coactionis, ac deceptionis: injuria enim non potest parere ullum Jus injurianti, & nemo debet commodum ex sua
iniqui-

iniquitate reportare. Hinc qui ad vitam servandam dat pecuniam latroni, patitur injuriam, licet velit eam dare, quia in illam dationem non consentit nisi per vim injustam. Idem dicitur de consentiente per ignorantiam, ut si quis solvat centum, putans se ea debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat; nam non vult dare centum, si non debeat.

Resp. II. Fit etiam injuria consentienti, quoties consensus est moraliter nullus, ut patet. Sic fit injuria solventi usuras, vel pretium justo majus pro merce, &c. quia consensus in ista est nullus, cum sit de re impossibili: nam dans vult ista dare tantum tanquam pretium, non autem gratis: sed impossibile est illorum esse pretium: mutuum enim est essentialiter gratuitum; & pretium est essentialiter quid aequale merci, ergo excessus pretii non est pretium.

Resp. III. Quoad jura abdicabilia consentienti omnino voluntarie non fit injuria, ex Reg. Juris 27. in 6. *Scienti, & consentienti non fit injuria.* Quia eo ipso, quod sponte consentiat, cedit efficaciter istis juribus: ideoque actio non est contra Jus, sed secundum Jus alteri concessum. Sicque nulla est violatio Juris, nec proinde iniuria.

Resp. IV. Quoad jura inabdicabilia consentienti fit vera injuria. Prob. 1. ex cap. 36. *De sent. excom.* ubi Innocentius III. ait: percussorem Clerici ad satisfactionem alicujus offensa

fenſæ

fenſæ juxta morem Patriæ, triginta circiter
 fuſſium percuffionibus corpus ſuum ultro
 ſubjicientis, eſſe injurioſam, licet non ſit vio-
 lenta, cùm ille canon non tam in favorem Clerici
 ordinati, quàm in favorem ordinis Clericalis fue-
 rit promulgatus. 2. Quia Jus inabdicabile eſt
 illud, cui efficaciter cedere non poteſt Domi-
 nus: ergo cùm tunc conſenſus ſit inefficax ad
 tollendum Jus, quod habet conſentiens, ne
 fiat illa actio; revera manet totum Jus illud,
 ac proinde talis actio eſt verè injurioſa, utpo-
 te contra Jus alterius permanens. 3. Innoc.
 XI. damnavit hanc propoſ. *Copula cum conju-
 gata conſentiente marito non eſt adulterium, adeo-
 que ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*
 Quippe Jus mariti eſt inabdicabile, cùm ex
 natura matrimonii Jus copulæ ſit eſſentialiter
 conjugibus affixum. Maritus tamen con-
 ſentiens cenſetur condonare injuriæ repara-
 tionem.

CAPUT II.

De natura, & neceſſitate reſtitutionis.

Q. I. **Q**uid eſt reſtitutio?

Reſp. **Q**uid eſt reſtitutio? **Reſp.** Eſt rei alienæ redditio, vel damni
 illati compensatio, debita ex Juſtitia ad æqua-
 litatem: vel etiam rei alteri debitæ ſolutio.
 Nam de ea ſic ſumpta hinc agetur. Unde eſt
 actus Juſtitie commutativæ, quæ verſatur cir-
 ca